

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**

Pasquali, Giovanni Battista


Venetiis, 1755

Hubertini Clerici Crescentinatis Commentum In Epistolas Ciceronis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

[CLXXXIX]

tificum vitas & mores scripturum me pollicitus sum , Imperatorum quoque , Principum , ac Ducum res gestas inseruerim adeo enim haec simul connexa sunt , si primos Imperatores dum Christianis adversantur , si ultimos dum favent , inspicis , ut alterum integre sine altero exprimi nequivierit . Legant ergo aequo animo , & si quid emolumenti ex hac scriptione nostra percepint , Tibi soli , Pontifex optimè , gratias agant , cujus sanctissimo Imperio libenter obtemperavi .



HUBERTINI CLERICI CRESCENTINATIS
COMMENTUM IN EPISTOLAS CICERONIS.

Vicentiae per Hermannum Lichtensten MCCCCLXXIX.

Bonus [1] Accursius Pisani Clarissimo ac doctissimo viro Joanni [2]
Francisco Turriano Ducali Quæstori dignissimo S. P. D.

Cum omnes homines , ut Stoicorum sententia est , nati sint ad communem hominum utilitatem , ut sibi mutuo adsint : mei instituti esse duxi , ut qui jandiu ac multum in palestra , ut ita dixerim , sum versatus aliquid afferrem in medium , quod Scolasticis iis conduceret , qui se dicendi & haberi & esse studiosos existimari cupiant . Quare cum ad eam rem familiares Ciceronis epistola in primis accomodatae sint , nec tamen multis in locis propter & rerum & temporum conditionem dilucidè intelligantur , volui commentationes quasdam de his imprimi ; per quas , quæ maximè dubia videntur , reddantur luce ipsa , ut ita loquar , clariora . Venerunt igitur ad manus meas & argumenta , & scripta nonnulla , quæ feruntur emanasse alia e Guarino Veronensi , alia a Joanne Petro Lucensi , alia ab Omnibono Vicentino , & alia ab aliis viris mea sententia & eruditis & diligentibus , quæ tamè ipsa non essent satis emendata . Novissime verò Hubertinus Clericus Crescentinas , vir , ut mea fert opinio , egregiè doctus & perdisertus , qui in celeberrimo Gymnasio Papieni septem annos maxima cum audientium & attentione & utilitate publico legit stipendio , carumdem epistolarum locos reddit longè apertiores , ut quasi oculis ipsis dignosci valeant ; est enim usus diligentia singulari , eademque conjuncta cum mirabili ingenii acrimonia , ut secus res haberi non possit . Hæc enim omnia & sua & aliena idem Hubertinus rededit tanquam in corpus unum ita compositum atque compactum , ut nulla ex parte discrepet . Rem autem ita habere commentationes ipsæ perspicue ostendent . Quod ego laboris onus & subii alacrius , ut tibi clarissime sapientissimeque vir Ioannes Franciscus Turriane , rem facerem non ingratam , utpote qui ex huiusmodi mea

[1] Bonus Accursius , a patria Pisii Pisani agnomē adeptus , Mediolani moram egit diuturnam , & rem literariam constanti labore promovit , celebriorum veterum Authorum operibus , emendandis , edendisque in lucem semper intentus , ait Saxius Hist. Typ. Lit. Med. pag. 162. & seqq. Franc. Philolophum præceptorem suum impense & amavit & coluit ; eoque cohortante post ann. MCCCCLXXIII. Mediolanum profec-

etus , ludum ibidem literarum aperuit , non sine discipulorum affluentia , & nominis sui reique domestica incremento . Teterima lue , quæ post ann. MCCCCLXXXV. Mediolani gravatatur , egrum virum e vivis creptum suspicatur Saxius l. c. quem vide .

[2] Maenaci suo , & cui nonnulla ab se edita Bonus Accursius dicaverat .

